



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1626

C. Iulius Cæsar. Capvt LX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)

C. Licinius Caluus.
CAPVT LIX.

Morosa, & mei culosa eloquentia plus habet opera, minus felicitatis.
CAius Licinius Caluus accuratius quoddam dicendi, & exquisitius afferebat genus: quod quanquam scienter, eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in se, atque ipse sese obseruans, metirensque ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem perdebat. Itaque eius oratio nimia religione attenuata doctis, & attentè audientibus erat illustris, à multitudine autem, & à foro, cui nata est eloquentia deuorabatur. Aticum se Caluus dici oratorem volebat, inde ista exilitas, quam de industria consequebatur.

C. Iulius Cæsar.
CAPVT LX.

Mens magna C. Iulij Cæsaris, & vt ait Plinius, quodam igne volucris bellorum laureis eloquentiæ palmas adtexiit, de quosummi oratoris extat iudicium honorificentissimum. Cæsar, inquit, rationem adhibens, consuetudinem vitiosam, & corruptam puram, & incorruptam consuetudine emendat, itaque cum ad hanc elegantiam verborum latinorum, quæ etiam, si orator non sis, & sis ingenuus ciuis Romanus, tamen necessaria est, adiungit illa oratoria ornamenta dicendi, (tum viderur tanquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine.) Hanc enim habeat præcipuam laudem in communibus non video, cui debeat cedere, splendidam quandam, minimeque veteratoriam dicendi rationem tenet, voce, motu, forma etiam magnifica, & generosa quodammodo orationes eius, mihi vehementer probantur. Atque etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum, valde quidem (inquam) probandos. Nudi enim sunt, re-cti, & venusti, omni ornatu orationis, tanquam veste detracta. Sed dum voluit alios habere parata, vnde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis grauium fortasse fecit, qui volunt ista calamistris inurere, sanos quidem homines à scribendo deterruit. Nihil enim in historia pura, & illustri, breuitate dulcius. At lib. 3. de Oratore, tribuit illi singularem dexteritatem, quod res tragicas penè comicè, tristes remisse, seueras hilare, forenses scenica propè venustate tractaret. Atque ita,

vt neque iocus magnitudine rerum excluderetur, nec grauitas facetijs minuereetur. Plutarchus ait eum *ὄδωι πρὸς λόγους ἀρίστα, καὶ διαπρόνοια φιλοτιμίαια*. Splendorem orationis illi tribuit Cornel. Tacitus, sicut alij indolem Cælio, subtilitatem Calidio, grauitatem Bruto, acumen Sulpitio, acerbitatem Cassio, diligentiam Poillion, dignitatem Messala, sanctitatem Caluo. Sed omnium optimè collegisse videtur Quintilianus, vbi ait Cæsarem dixisse eodem animo, quo bellauit.

N. N.

a Extant earum scagmenta à Fulvio Ursino collecta. Vt orationum in Funere Julia, pro Bithynis, pro lege Plautia, ad Miliites pro Sextilio, de Coniuratis, in funere Cornelia. Item ex libris Anticatois de auspiciis, & analogia.

Crispus Salustius.
CAPVT LXI.

CRispus Salustius, quod præclare dictum est à Lipsio mirandus magis, quam iudicandus. Acre, & sublime viri ingenium, dicendi vis magna, crebre sententiæ, neruosa breuitas. Atque vt in minoribus conchis, quod aiunt, illustriores sunt Margaritæ, sic in Salustij orationibus, breuibus ijs quidem, sed in breuitate conspicuis generosiores sensus latent, & maiora eloquentiæ ornamenta. Quippe nariat præse, irrepit subtiliter, pugnat robuste, verbis vix vnaquam temerarijs, sed acri castigatione delectis, sententijs versis, concionibus cultis. Quamquam suis næuijs non caruit, de quibus in comparatione Ciceronis, & Salustij plenius dicturus sum.

M. TVLLIVS CICERO, PRO
quo Apologia.

Contra Κριετορομαστρα, qui ferream Ciceronis eloquentiam, auream Demosthenis nominarat.

CAPVT LXII.

Attigimus humanæ culmen eloquentiæ, iam quò progrediatur stylus non habet. Hic ille est Marcus Tullius dono quodam pro-uidentiæ genitus, in quo totas vires suas eloquentiæ experiretur, par Imperio Romano in-

Quicquid Romana eloquentia habet, quod insolenti Graecia, aut op-
genium,